Wilhelm

Friedrich
Wilhelm

Zu
der öffentlichen Prüfung aller Klassen
des K. Gymnasiums zu Erfurt

am 20. 21. und 23. März 1877,

sowie

zur Feier des Geburtstags Sr. Majestät des Kaisers und Königs

am 22. März

ladet

die Königlichen und städtischen Obrigkeiten, die Geistlichkeit und die Lehrer der Stadt,
die Eltern und Pfleger der Schüler, desgleichen alle Gönner
und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst ein

Director Dr. Dietrich.

Inhalt: De Nubium fabula ab Aristophane retractata scripsit Fridericus Witten.
Nachrichten über den Zustand des Kön. Gymnasiu [redacted] on Ostern 1876 bis dahin 1877. Vom Director.

1877. Progr. n. 187.

ERFURT, 1877.

Druck von Gerhardt & Schreiber.

De Nubium fabula ab Aristophane retractata

scripsit

Fridericus Witten.

De Aristophanis Nubibus quum jam a principio alii aliter judicaverint, tum nostris temporibus, ex quo in fabulae compositionem singulasque ejus partes inquirere coeperunt viri docti, maxima exorta est discrepantia sententiarum. Quamvis enim poëta ipse dicat hanc fabulam omnium suarum primam et doctissimam et maxīmi laboris fuisse (v. 522 sq.), nemo est qui nesciat eam a spectatoribus explosam et nonnisi tertio praemio a judicibus affectam esse. Quum deinde inter veteres scriptores nonnulli hanc fabulam laude dignam putaverint, Aelianus et alii commenti sunt poëtam ab Anyto et Meleto, Socratis accusatoribus, pretio subornatum esse, ut Socratam in comoedia perstringeret (Ael. var. hist. II 13). Inter recentioris aevi judices Voltarium et Wielandium scimus haud bene de hac fabula et de Socrate irriso judicasse, quum alii viri docti eam apte et egregie compositam esse contendant. Sed ab initio fere hujus saeculi magis in fabulae compositionem inquisiverunt viri docti atque de ea quae fertur duplici fabulae editione judicium tulerunt: in quo alii alia et excogitaverunt et demonstraverunt. Quum enim in parabasi (518—562) poëta ipse de priore fabulae editione loquatur; quum praeterea in argumento fabulae sexto atque in nonnullis scholiis (v. 518. 542. 543. 549. 553. 580. 592) mutatas esse quasdam fabulae partes, distinxisse Eratosthenem duas fabulae editiones disertis verbis tradatur; quum denique Athenaeus Pollux alii haud paucis locis priorum Nubium fragmenta afferant (cfr. Ath. IV p. 171 C); fieri non potuit, quin viri docti, quae ratio inter priorem et alteram editionem intercesserit, accurate perquisiverint. Atque primus quod sciam Esserus in libello qui inscriptus est de prima et altera quae fertur Aristophanis Nubium editione (Bonnae 1823) unam eandemque fuisse utramque editionem neque quidquam nisi parabasim mutatum esse contendit: quae opinio quum Süvernio (üb. Arist. Wolken, S. 84 f.) et Reisigio (in museo rhenano 1828 p. 199. 201) probaretur, a C. F. Hermanno (ind. lect. Marburg. 1837) C. Beerio (über die Zahl d. Schauspieler bei Aristophanes, S. 131 ff) Fritzschio (quaest. Aristoph. p. 111 sq.) G. Hermanno (in praefatione editionis II. Lips. 1830 p. XXII—XXX) diversis caussis allatis sagacissime refutata est. F. V. Fritzschius vero quum eo loco quem attulimus fere contrariam Essero opinionem protulisset et plane diversam inter se fuisse utramque Nubium editionem contendisset, postea sibi non constitit et in doctissimis illis et subtilissimis quinque libellis academicis, qui Rostochiae annis 1849—52 prodierunt et de fabulis ab Aristophane

vestigia [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
p. 214—234) in singula accur[illegible] inq[illegible] [illegible], [illegible] se habere extra omnem dubitationem posuit. [illegible]errimus vero utriusque [illegible] Engerus, qui in libello scholastico qui prod[illegible] Ostrowiae 1853 (üb[illegible] d. Parabas[illegible] der [illegible] des Aristophanes) hanc opinionem esse insolentissimam audacissimam minime prob[illegible] disertis verbis praedicavit et Nubium fabulam paucis tantum locis mutatam in theatro rurali Piraeensi iterum doctam esse omnibus qui sana mente sunt persuasisse sibi visus est. C. W. Goettlingius deinde anno 1856 [1]) retractatam quidem esse et nonnullis locis mutatam fabulam non negat, sed hanc alteram editionem non ad spectandum, sed tantum ad legendum destinatam esse demonstrare conatur: quod a veterum consuetudine adeo abhorret, ut verear ne multis non persuaserit. Jam vero alii viri docti ea quam Fritzschius et Teuffelius ingressi erant via latius progressi nonnullis locis majorem quam antea lucem infuderunt. Primus Köchlius in annotationibus, quas orationi academicae a. 1855 habitae addidit [2]), quo erat ingenii acumine et qua erat audacia utriusque editionis partes dilucide inter se distinxit et dissecuit; deinde Fr. Büchelerus (in annal. philolog. vol. 83 p. 657—659) eos locos, qui maximi ad rem dijudicandam momenti sunt, accuratissime tractavit et partim novis inventis partim caussis aliorum repetitis demonstravit alteram editionem non esse omnibus numeris perfectam et absolutam, sed complura prioris editionis vestigia remansisse eamque nunc esse fabulam, ut iterum docta esse omnino putari non possit. His virorum doctorum studiis addenda sunt ea quae singuli editores Nubium praefati sunt, inprimis Th. Kockius, qui horum virorum sententias optime contulit et comparavit. Nuperrime Fr. Ritterus in philol. vol. 34 p. 447—464 rem iterum tractavit et ea quae viri docti excogitaverunt paullum restringere atque circumcidere conatus est, ita ut apud veteres scriptores prioris editionis vestigia nulla exstare et nonnisi duobus, ubi plurimum, tribus locis mutatam esse fabulam contendat. Quam opinionem quum magna fiducia protulerit, sane operae pretium erit eam quam accuratissime examinare et dijudicare atque totam rem diligentius animo rependere et reputare. Quare occasione oblata omnia et externa et interna ut ita dicam alterius editionis vestigia et testimonia accurate perquirere constitui, non quo novi quidquam me prolaturum esse confidam, sed ut omnibus quae huc pertinent comparatis atque collatis dijudicem, utrum Esserus Engerus Ritterus verum viderint an quae a plerisque viris doctis pro certis habentur concedi possint. Ita vero, si placet, rem instituam, ut in priore parte, ubi de externis testimoniis agere mihi proposui, argumenta et scholia, prioris editionis locos a veteribus scriptoribus allatos, denique quae ipse poëta in parabasi dicit dijudicem et explicem; in altera vero parte ipsius fabulae locos, qui dubitationem movent, a primo usque ad ultimum, recenseam: in quibus quae viris doctis illis debeo qua fieri poterit diligentia afferam.

---

[1]) Berichte der sächsischen Gesellschaft der Wissenschaften, S. 15—32.

[2]) Akademische Vorträge u. Reden, Zürich 1859, I p. 414—429.

[illegible] atur, quae v. 548 hujus [illegible] esse constat nominatur. Pluris vero [illegible] argumentum sextum protulit, cujus verba haec sunt: τοῦτο δὲ ταὐτόν ἐστι τῷ προτέρῳ· διεσκεύασται δὲ ἐπὶ μέρους, ὡς ἂν δὴ ἀναδιδάξαι μὲν αὐτὸ τοῦ ποιητοῦ προθυμηθέντος, οὐκέτι δὲ τοῦτο δι' ἥν ποτε αἰτίαν ποιήσαντος. καθόλου μὲν οὖν σχεδὸν παρὰ πᾶν μέρος γεγενημένη διόρθωσις· τὰ μὲν γὰρ περιῄρηται, τὰ δὲ πέπλεκται καὶ ἐν τῇ τάξει καὶ ἐν τῇ τῶν προσώπων διαλλαγῇ μετεσχημάτισται· ἃ δὲ ὁλοσχερῆ τῆς διασκευῆς τοιαῦτα ὄντα τετύχηκεν· αὐτίκα ἡ παράβασις τοῦ χοροῦ ἤμειπται, καὶ ὅπου ὁ δίκαιος λόγος πρὸς τὸν ἄδικον λαλεῖ, καὶ τελευταῖον ὅπου καίεται ἡ διατριβὴ Σωκράτους. Hoc de utraque editione haec fere tradit: fabulam partim (ἐπὶ μέρους) retractatam esse; correctionem (διόρθωσιν) per totam fabulam extensam esse, ita ut alia ablata, alia addita, alia in ordine et personarum distributione mutata sint; retractationem vero (διασκευὴν) ad tres praecipue locos pertinere, ad chori parabasin, ad justi et injusti oratoris contentionem, ad ultimam fabulae scenam, in qua Socratis domus comburatur. Haec pro certo affirmare hujus argumenti scriptor videtur; dubitanter vero eam opinionem profert, poëtam iterum docere fabulam voluisse, quavis vero caussa permotum non docuisse.[1]) Ex scholiis nihil fere certi cognosci posse putaverim: nam aut ea quae per se patent afferunt, velut scholium v. 518 mutatam esse parabasin et scholium v. 580 ea quae de Cleone vivo agunt ex prioribus Nubibus desumpta esse tradunt, aut ita inter se differunt, ut utrum vera tradat dijudicare non possimus, velut scholium v. 542 dicit τὰς δὲ δᾷδας καὶ τὸ ἰοὺ ἰοὺ ἐν Νεφέλαις τὸ πρῶτον[2]), scholium v. 543 vero ἐν δὲ ταῖς πρώταις Νεφέλαις τοῦτο οὐ πεποίηκεν, aut denique conjecturam tantum quae minimi momenti est faciunt, velut schol. v. 582 nulla traditione nititur quum dicat: δῆλον οὖν ὅτι κατὰ πολλοὺς χρόνους διεσκεύασε τὸ δρᾶμα· nam hujus rei nulla in fabula exstare vestigia videbimus. Memoria digna tantum scholia sunt v. 549 et 552: quorum prius inter doctas et editas Nubes explicitis verbis distinguit, alterum Eratosthenem illum primum philologum utramque editionem ante oculos habuisse extra omnem dubitationem ponit: nam quum Eratosthenem contendat Callimacho dixisse: ἐν ταῖς διδαχθείσαις οὐδὲν τοιοῦτον εἴρηκεν, ἐν δὲ ταῖς ὕστερον διασκευασθείσαις εἰ λέγεται, οὐδὲν ἄτοπον, Eratosthenes et doctas et editas Nubes legisse et alteram editionem non doctam esse contendisse videtur.[3])

---

[1]) Ab hac explicatione aliquantum differunt, quae Ritterus l. c. p. 450 sqq. exposuit; nam id egit, ut scriptorem argumenti sexti priorem Nubium editionem non vidisse, sed mutationes illas, quas factas esse affirmat, conjectura assecutum esse contenderet. Qui vero accuratius quae R. scripsit perlegerit primum intelleget virum doctum, ut sententiam suam probaret, paullo audacius argumenti verba correxisse; deinde eum, quae contenderit, non ostendisse. Praecipue cur falso scriptorem argumenti mutatam esse ultimam fabulae scenam contendisse putaverit, intellegi non potest.

[2]) hoc ipsum τὸ πρῶτον G. Hermannus non recte explicavisse mihi videtur; nam quod dicit faces primum in Nubibus secundis adhibitas esse, hoc nexu sententiarum qui in illo scholio est minime commendatur.

[3]) Quomodo Engerus (l. c. p. 6) ex hoc scholio concludere potuerit, a Callimacho et Eratosthene nostram tantum editionem cognitam esse, haud assequor. Nec magis eandem sententiam Ritterus nobis persuasit, qui ea quae Eratosthenes certo affirmasse dicitur, eum ex hac ipsa fabula collegisse contendit.

Sed transeamus ad eos veterum scriptorum [illegible] faciunt. Afferuntur quidem Nubes priores praeter [illegible] Athenaeum IV p. 171 C, ubi vv. 1196—1200 hujus quam [illegible] Νεφέλαις legi dicuntur; quae verba servari posse contra Brunckium G. [illegible] alios qui ἐν δευτέραις Νεφέλαις restituendum esse putant, cum Fritzschio con[illegible] neque quidquam obstat quominus hos vv. jam in priore editione infuisse putemus (ut [illegible] ostendam), et quum Athenaeus duobus locis (VII p. 299 b, VIII p. 345 f) δευτέρας Νεφέλας afferat, haud dubie utramque editionem cognovisse putandus est [1]). Sed afferuntur a plerisque scriptoribus ex Aristophanis Nubibus vel vocabula vel loci quos nunc in fabula non legimus: unde facile conjici poterit priorem fabulae editionem aliquamdiu in legentium manibus versatam esse priusquam prorsus perierit. Ut eos locos taceamus, qui singula vocabula afferunt, in quibus grammaticos errare potuisse certe concedendum erit, velut schol. Pac. 91, Bekker anecdot. p. 98, 1 et 105, 2, schol. Vesp. 1033, eos deinde, in quibus eos erravisse Engerus ostendit, velut schol. Pac. 348, quod ad Lysistr. 804, et Suid. s. v. μετὸν, quod ad Eccles. 667 pertinet, quatuor priorum Nubium fragmenta tamen restant neque repelli posse videntur. Primum Diog. Laert. II, 5, 18 ex Aristophanis Nubibus haec verba affert:

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδιὰς ποιῶν
τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι, τὰς σοφάς.

Quem quidem locum comparatis et conjunctis eis quae praecedunt ab Aristophane alienum et Teleclidi tribuendum esse Dindorfius (fragm. Arist. p. 23) Bergkius (fragm. Arist. p. 300), G. Hermanus (praef. p. XIX) Ritterus censuerunt, sed audacissime eos scriptoris verba confudisse et mutavisse F. V. Fritzschius (vol. V p. 3—10) sagacissime ostendit. Quod vero ipse mutandos esse versus putat, ut Euripidis personam e priore fabula removeat, in eo fallitur; nam Euripidem Socratis discipulis interfuisse jam inde verisimile fit, quod Aelianus (var. hist. II 13) et alii de utriusque viri amicitia tradunt. Quare nihil obstare videtur, quominus cum Reisigio illos versus in prologo, fere post v. 194 quem nunc legimus, in priore editione insertos fuisse credamus. Alterum fragmentum a Photio p. 498, 11 his verbis affertur:

Ἐς τὴν Πάρνηθ' ὀργισθεῖσαι φροῦδαι κατὰ τὸν
Λυκάβηττον· Ἀριστοφάνης Νεφέλαις καὶ ἑξῆς. [2])

Quod quum omnes viri docti [3]) prioribus Nubibus attribuendum esse concedant, nondum inter eos convenit, quo loco insertum fuerit: fuerunt qui parodo (G. Hermannus et Dindorfius), fuerunt qui parabasi (Beerius), fuerunt denique qui exodo id insererent (Büchelerus, Teuffelius). Mihi persuaderi non poterit ante finem fabulae Nubes iratas abiisse dici: obstare quidem videtur illud τὸ ἑξῆς, sed fortasse primus complurium vv. allatus esse putandus est. Jam vero ex hoc fragmento concludi posse videtur Diogenem Laërtium quoque utramque fabulae editionem cognovisse: id quod alio loco confirmatur II, 5, 27, ubi quae vv. 412—422 leguntur, paullulum mutata a Diogene Laërtio afferuntur, ita vero, ut scriptor prioris editionis

---

[1]) Ne hoc quidem loco Engerus verum vidisse videtur, quum Athenaeum eam tantum quam nos habemus editionem ante oculos habuisse magis contendat quam ostendat: assentitur Ritterus l. c. p. 456.

[2]) Sic Porsonus ad Ran. 1088 locum correxit.

[3]) Minime veri simile est quod Ritterus dicit, hunc versum non nisi errore ad Nubes relatum esse.

[illegible])

[illegible] esse cum Reisigio et Hermanno omnes fere [illegible] quum jam e [illegible] argumento finem fabulae retractatum esse consequatur, [illegible] est dissimile hoc fragmentum ex prioris fabulae exodo, ubi non incensae sunt [illegible] aedes, sed Socrates Chaerephon alii ejus discipuli verberibus castigabantur, desumptum esse. Denique apud Athenaeum XI. p. 477 c ex Nubibus (non additis prioribus vel secundis) affertur fragmentum:

μηδὲ στέψω κοτύλισκον,

quod in priore editione primo episodio, prope v. 417, insertum fuisse Fritzschius aliique viri docti suo jure contendisse videntur, Ritterus vero ob similitudinem v. 426 falso Nubibus adscriptum esse contendit nec vero probavit.

Jam vero in testimoniorum externorum numero praecipue ea habenda sunt, quae poëta ipse de fabula mutata in parabasi profert. Nam hanc quae proprie dicitur parabasin (v. 518—562) ad alteram fabulae editionem pertinere, in eo omnes et veterrimi et nuperrimi viri docti mire consentiunt, neque hoc negare quisquam poterit poëtam in his versibus spectatoribus explicare, quae ratio inter utramque editionem intercedat atque quibus virtutibus ea quam nunc legimus commendetur. Sed hos ipsos versus, ut accidere solet, alii aliter explicaverunt, ita ut fieri non possit, quin accuratius de singulis agamus.

Tres vero praecipue hujus parabasis partes spectandae esse videntur, in quarum prima de priore repraesentatione fabulae poëta agit (v. 518—527), in altera alteram editionem comparatis Daetalensibus, prima sua fabula, (v. 528—536), in tertia eandem ut modestam prudentem moderatam commendat (v. 537—544): quae vero sequuntur (545—562) quum ad irridendos potius alios comoedos scripta esse videantur, ad rem de qua agimus nihil conferunt. Primae partis haec verba sunt:

οὕτω νικήσαιμί τ' ἐγὼ καὶ νομιζοίμην σοφός,
ὡς ὑμᾶς ἡγούμενος εἶναι θεατὰς δεξιοὺς
καὶ ταύτην σοφώτατ' ἔχειν τῶν ἐμῶν κωμῳδιῶν
πρώτους ἠξίωσ' ἀναγεῦσ' ὑμᾶς, ἣ παρέσχε μοι
ἔργον πλεῖστον· εἶτ' ἀνεχώρουν ὑπ' ἀνδρῶν φορτικῶν
ἡττηθείς, οὐκ ἄξιος ὤν· ταῦτ' οὖν ὑμῖν μέμφομαι
τοῖς σοφοῖς, ὧν οὕνεκ' ἐγὼ ταῦτ' ἐπραγματευόμην.

In his verba extrema tam dilucide ostendunt de priore editione agi, ut mirer Köchlium Kockium Engerum Goettlingium de altera cogitavisse. Nam quod vocabulum hi viri docti de altera editione sola explicari posse contendunt, *ἀναγεῦσαι* quod idem esse atque *ἀναδιδάσκειν* dicunt, id neque a scholiasta sic explicatur neque per analogiam sic explicandum est. Nam scholium addit glossam *διατάξαι*, et comparatis vocabulis qualia sunt *ἀναβιβρώσκειν*, *ἀναπίνειν* cett. (nam voc. *ἀναγεῦσαι* hoc solo loco invenitur) intellegemus *ἀναγεῦσαι* facillime de solo gustando, percipiendo intellegi posse neque in eo notionem repe-

---

[1]) fortasse eum Fritzschio scribendum est: *ὥσπερ πηνί' ὦ κινούμενοι.*

[2]) Etiam hoc fragmentum falso Nubibus adscriptum esse Ritterus contendit, caussa non addita.

[illegible] Hoc [illegible] ex [illegible] recte [illegible], colligi [illegible] trorali, quibus primis nova editio proposita sit, [illegible] tatione agit et hoc fere spectatoribus poëta dicit: „Ita [illegible] et pro [illegible] vos aptos spectatores et meam fabulam sapientissimam et primam omnium [illegible] protuli, victus vero sum a viris qui nihili putandi sunt.“ — Qualis vero haec com[illegible] quam novam profert, in altera parte his verbis dicit:

ἐξ ὅτου γὰρ ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,
ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην,
κἀγώ, παρθένος γὰρ ἔτ' ἦν κοὐκ ἐξῆν πώ μοι τεκεῖν,
ἐξέθηκα, παῖς δ' ἑτέρα τις λαβοῦσ' ἀνείλετο,
ὑμεῖς δ' ἐξεθρέψατε γενναίως κἀπαιδεύσατε·
ἐκ τούτου μοι πιστὰ παρ' ὑμῶν γνώμης ἔσθ' ὅρκια.
νῦν οὖν Ἠλέκτραν κατ' ἐκείνην ἥδ' ἡ κωμῳδία
ζητοῦσ' ἦλθ', ἤν που 'πιτύχῃ θεαταῖς οὕτω σοφοῖς·
γνώσεται γάρ, ἤνπερ ἴδῃ, τἀδελφοῦ τὸν βόστρυχον.

In primo horum versuum poëtam meminisse honorifici illius plausus, quo prima sua comoedia, cui Daetalensibus inscripsit, accepta sit, nemo negat. Nam in Daetalensibus castus ille et impudicus (*σώφρων, καταπύγων*) sibi oppositi erant; hanc fabulam non suo ipsius nomine proferre ausus erat poëta, sed per Philonidem docuerat, ita ut fere puella ex clandestino amore procreata, quam pater exposuerit, nominari possit; hanc fabulam benevole Athenienses exceperunt, ita ut nutrivisse eam et educavisse recte dici possint. In extremis versibus vero poëtam recordari ejus loci, qui in Aeschyli Choëphoris inde a v. 168 invenitur, etiam inter omnes constat. Illo loco enim Electra, quae tristissima fuerat et jam de salute desperaverat, mirum in modum elata atque erecta est cincinno quodam Orestis fratris invento, quem in patris sepulcro deposuerat. Facile intellegitur inter Orestem et Electram eandem fere rationem intercedere quam inter Aristophanis Daetalenses et alteras Nubes; illae ut Orestes a patre alienatae et in terra peregrina educatae erant, has ut Electram fratis cincinno ex maxima miseria in summum gaudium elatum iri poëta sperat. Quid vero in hac comparatione cincinnus ille sibi velit, nemo si exceperis Köchlium et Büchelerum recte intellexit, quo factum est, ut totius comparationis consilium discerni non potuerit. Nam ubi, ut fecerunt Kockius Engerus Teuffelius alii, hoc cincinno nihil denotari putamus nisi benevolum illum spectatorum plausum, intellegere omnino non possumus, cur Daetalenses attulerit poëta, quos secundo tantum praemio affectos esse scimus, neque Proagonem et Vespas, quibus primum praemium poëta reportavit, nisi artificiosam illam Engeri conjecturam sequi volumus, qui utramque fabulam, Daetalenses et Nubes secundas, in theatro Piraeensi doctas esse contendit neque vero ostendere potuit. Sed ubi animo reputaverimus de parte quadam Daetalensium cogitandum esse, quum cincinnus ille pars quoque Orestis fuerit, facillime intellegemus illo cincinno contentionem illam casti et impudici denotari, cujus similis contentio oratoris justi et injusti est, quam ad alteram solam Nubium fabulam referendam esse ex argumento sexto didicimus. Si ita locum cum Köchlio intellegimus (fere ad idem redeunt quae Büchelerus exposuit), omnia bene procedunt: poëta enim hanc suam fabulam

[illegible] σκέψασθ' ἥτις πρῶτα μὲν
οὐδὲν [illegible] σκυτίον καθειμένον,
ἐρυθρὸν ἐξ ἄκρου, παχύ, τοῖς παιδίοις ἵν' ᾖ γέλως·
οὐδ' ἔσκωψε τοὺς φαλακρούς, οὐδὲ κόρδαχ' εἵλκυσεν,
οὐδὲ πρεσβύτης ὁ λέγων τἄπη τῇ βακτηρίᾳ
τύπτει τὸν παρόντ' ἀφανίζων πονηρὰ σκώμματα,
οὐδ' εἰςῇξε δᾷδας ἔχουσ', οὐδ' ἰοὺ ἰοὺ βοᾷ,
ἀλλ' αὐτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύουσ' ἐλήλυθεν.

Quamvis singula verba facillime possint intellegi, tamen in universum quid hi versus sibi velint tantum abest ut inter viros doctos convenerit, ut prorsus diversa judicia de utraque editione hos vv. secuti tulerint. Nam Goettlingius ex his vv., praecipue ex ultimo v. 544, conclusit alteram editionem, omni apparatu scenico misso, non nisi ad legendum a poëta destinatam fuisse; Engerus de una tantum eademque priore fabula, quae ineptiis Eupolidis Cratini aliorum comoedorum facetiis opponatur, agi pro certissimo habuit; Köchlius his verbis priorem atque alteram editionem inter se opponi atque ex eis, quid in utraque fuerit, colligi posse contendit, quum Kockius et alii ex eis nullum judicium de utraque recensione ferri posse certo affirment. Quum Goettlingii sententia cum aliis caussis refutetur tum audacius quam verius nostrorum poëtarum consuetudines in veteres transtulisse videatur, ex singulis colligendum erit, utrum Köchlium magis an Kockium et Engerum sequamur. Atque primum monendum est, omnes illas facetias, quas hic reprehendat poëta, in fabula ipsa legi, nec solum eis locis quos ad priorem tantum editionem pertinere inter plerosque convenit. Sic primum phallum illum demissum, quem a comedia vetere non alienum fuisse imagines illae a Wieselero (tab. IX, 6. X, 5 cett.) traditae demonstrant, etiam in Nubibus adhibitum esse ex v. 734, quamvis gravissime indignetur Engerus, necessario consequitur: hunc versum ad priorem tantum editionem pertinere aliis caussis allatis postea ostendemus. Calvi irridentur (v. 540) in hujus fabulae v. 147, quem nemo quod sciam ab altera editione removendum esse ostendit; qui vero eodem versu affertur cordax, cum vv. 1206—1214 optime conciliari poterit; senex verberibus (v. 541) eos qui adsunt castigans v. 1297 invenitur; facibus[1] Socratis domus accenditur in exodo (v. 1499 sq.), quae scena et in argumento sexto et in schol. v. 543 tam certo alteri editioni tribuitur, ut soli Köchlio contrarium dicenti fidem habere non possimus; denique illa interjectio quae est ἰοὺ ἰοὺ tribus locis (v. 1. 1170. 1321) invenitur, quorum primus et alter haud dubie in utraque editione infuerunt. Inde, ni vehementer fallimur, sequitur ut ex his versibus, quae ratio inter utramque editionem intercedat, dijudicare non possimus. Inquirendum vero est in caussam, qua motus poëta omnes has facetias, quas in fabula ejus invenimus, ab ea remotas esse dixerit. Quae difficultas ita [illegible] tollenda esse videtur, ut in verbis extremi versus αὐτῇ καὶ τοῖς ἔπεσιν πιστεύουσ' ἐλήλυθεν

[1]) Uno verbo notanda est mira verbi εἰςῇξε explicatio a Rittero prolata: non initio fabulae faces [illegible]runtur et accenduntur!

maximum momentum ponendum sit. Illas facetias o[illegible] sed negavit se his facetiis confidere atque eis spectatorum a[illegible] ut alios poëtas fecisse putat. Non in irridendis calvis, non in cordace [illegible] beribus facibus phallo vim comoediae suae ponere voluit poëta, sed id [illegible] ipsis verbis et personis et re tractata risum atque plausum spectatorum moveret. [illegible] recte disputata sunt, tres illae parabasis partes optime inter se cohaerent: priorem [illegible] explosam esse a spectatoribus poëta gravissime conqueritur; nova quadam parte inserta alteram commendat; non facetiis et ipsis non repudiatis, sed re ipsa et verbis spectatores movere vult.

Ut paucis repetamus externa illa duplicis recensionis testimonia, quae in hac priore parte dijudicavimus: vidimus ex argumentis et scholiis jam a veteribus viris doctis, qui Aristophanis comoedias tractaverunt, discrimen factum esse inter priorem et alteram fabulae editionem; habitam esse jam in antiquitate hanc alteram editionem pro retractatione, quae ad finem non perducta sit; inveniri nonnulla prioris editionis fragmenta, quae haud pauca in altera mutata esse ostendant; poëtam ipsum nova parte auctam atque emendatam esse fabulam dicere neque vero singula quae mutata sint accurate afferre. Jam id agendum est, ut tota fabula diligenter pertractata utriusque editionis si qua reperiri poterunt vestigia persequamur; inde idem ostendi posse confidimus, quod ex externis testimoniis in hac priore parte collegimus: Aristophanem inchoasse quidem fabulae retractationem nec vero eam ad finem perduxisse. Cujus rei quae fuerint caussae, in fine disputationis reputandum erit.

II.

In fabulae prologo (v. 1—274) aliis omnia bene procedere videntur, alii in quibusdam versibus utriusque recensionis vestigia repperisse sibi videntur. Ut paucis expositionem illam fabulae enarremus, inducitur Strepsiades aere alieno justo magis cruciatus, quod ut fraude a se avertat, Phidippidi filio persuadere studet, ut Socratis disciplina se erudiri sinat ab eoque defraudare creditores discat. In hoc colloquio in vv. 108—120 suo jure haeserunt nonnulli, imprimis Teuffelius Kockius Köchlius: offendit eos quod filius interrogat, quid sibi discendum sit (v. 111), postquam pater compluribus vv. (95—99) quid rei sit explicavit, offendit eos diversum patris responsum. Nam altero loco narrat duos oratores, justum et injustum, in Socratis domo versari, quorum alter ei discendus sit, quum antea nihil dixerit nisi eum docere vel in caussis injustis vincere. Quum vero jam antea ostenderimus (cfr. pag. 3) altercationem illam quae est inter justum et injustum oratorem in altera editione additam esse, revera hi vv. additi esse videntur, ut illam scenam quasi introducerent atque praepararent. Inde sequitur, ut illos vv. 108—118 pro redactoris additamento cum Köchlio habeamus, quae sententia eo quoque confirmatur, quod optime vv. 107 et 119 inter se conjungi possunt; minus apte vero Kockius vv. 110—120 alteri editioni attribuit. — Jam vero Strepsiades quum filio ut Socraticos adeat persuadere non possit, ipse ad Socratis domum proficiscitur et cum discipulo quodam colloquitur, qui tam mira de subtili Socratis inquirendi ratione ei tradit, ut acerrimo desiderio Socratis ipsius videndi incendatur.

[illegible]), [illegible] [illegible] aedes adit [illegible] et in aëre suspensum videt. [illegible] [illegible] repraesentata [illegible] et quomodo vv. 195—199 explicandi [illegible] [illegible] minime convenit. Quum nonnulli de eccyclemate illo, quo interior aedium [illegible] ad proscenium promoveri solebat, cogitaverint, Wieselerus et Büchelerus (in ann. [illegible] 83 p. 669) ostenderunt huic in hac scena omnino locum esse non potuisse.[2]) Quum praeterea rem in interioribus Socratis aedium partibus agi ex vv. 207. 237. aliis dilucide apparere videatur, in eo offenderunt Köchlius Kockius Büchelerus, quod v. 195 introire jubentur discipuli, ne a magistro conspiciantur, et inde collegerunt vv. 195—199 postea additos cum priore recensione non convenire. Sed si accuratius inspexissent schol. v. 195, ita rem procedere intellexissent, ut vv. illi optime serventur, quos suo jure Bеrglerus Hermannus Wolfius Droysenius servaverunt. Nam primo ante aedes cum discipulo colloquitur Strepsiades, dum portis apertis miratus aedes interiores adspicit; exeunt vero alii discipuli quid novus advena velit scire cupientes, qui in interiorem aedium partem se recipere jubentur. Strepsiades usque ad portam aedium progreditur et in posticis aedium partibus Socratem conspicit, qui ejus precibus commotus extra domum in terram descendit.[3])

Inter discipulos Socratis verisimile est in priore recensione Euripidem quoque conspectum esse, de quo fragmentum illud a Diogene Laertio servatum agit, quod post v. 194 inserendum esse pag. 4 ostendimus. De reliqua prologi parte nihil notandum esse videtur; et ibi et in parodo (v. 275—313) omnia bene procedunt, ita ut in his partibus priorem recensionem nonnisi leviter mutatam esse concedendum sit.

Jam vero in primo episodio (v. 314—509) nonnulli loci inveniuntur, in quibus vestigia alterius recensionis comprehendi posse videntur. In quo quum primo Socrates cum Strepsiade, postea Strepsiades cum choro colloquatur, interea vero chorus ad Socratem, quem sacerdotem suum nominat, apertis verbis se convertat (355—62), jure in eo offendere posse videmur, quod Socrates choro non respondet. Inde aliter rem in priore editione processisse collegerunt Büchelerus et Kockius, ita vero, ut Socrates cum choro post v. 362 collocutus esse putandus sit. Equidem vero vix putaverim hoc loco quidquam mutatum esse. Nam invocatae a Socrate Nubes e coelo descenderant, non vero ut Socrati, sed ut Strepsiadi opem ferrent (v. 269); quare quid velit Socrates, a Strepsiade demum (v. 430) docentur: hoc vero petere ab eis non potest, nisi eas solas deas esse apertis verbis concesserit: illam igitur quaestionem id primo sequitur, ut Socrates Strepsiadi deas esse eas persuadeat (v. 365 sqq.). Quid vero aliud Socrates cum Nubibus in prima recensione collocutus esse possit, indagari posse non videtur. — Deinde ex eis, quae ad divinam Nubium naturam ostendendam cum Strepsiade Socrates colloquitur, Kockium offendit v. 382, in quo de tonitru nihil dictum esse Strepsiades injuria contendat, quum jam vv. 376 sqq. de hac re egerit Socrates. In qua re quum duplicis recensionis vestigia repperisse sibi videatur, vehementer fallitur; nam consulto, id quod ex v. 383 intellegitur, poëta Strepsiadem iterum

---

[1]) Hoc vocabulo Graecum illud φροντιστήριον vertere mihi liceat.

[2]) Conferas etiam quae Schoenbornius (d. Skene d. Hellenen, S. 348) de hac scena exposuit.

[3]) Ea quae conspicere dicitur v. 200 sqq., in interiore portae parte conspecta esse cum quadam veri similitudine Ritterus p. 464 contendit.

interrogantem fecit, ut pinguissima mente et stultissimum eum fuisse luculento documento ostenderet. — Magis vero dubitationem movent vv. 412—422, in quibus chorus Strepsiadem multa in sapientia profecturum esse pollicetur, ubi labores maximos perferre et vino aliisque voluptatibus abstinere possit, Strepsiades vero omnia se facturum esse promittit. Nam primo vv. chori 412—419 a Diogene Laertio (II 5 27) compluribus verbis mutatis afferuntur, ita ut non Strepsiadi, sed Socrati dicti esse videantur; deinde hi vv. eum nexum sententiarum qui inter vv. 411 et 423 intercedit male interrumpunt atque eadem sententia latius extensa inde a v. 435 redeunt; denique fere adversa fronte repugnant eis quae orator injustus inde a v. 1071 disertis verbis praedicat. Quare dubitare non possumus, quin hi vv. ex priore recensione repetiti ab altera alieni sint, quamvis qui edidit fabulam eos alteri adaptare maxime studuerit. Accedit quod omnes recentiores editores, qui de hoc loco egerunt, ita rem institutam esse contendunt, Büchelerus Teuffelius Fritzschius Kockius. G. Hermanno dubitationem hi vv. movisse non videntur. [1]) — In extrema primi episodii parte (v. 478—509) Strepsiades a Socrate examinatur, num initiari et in scholam recipi possit. Qui hoc examen antecedunt vv. 476 sq. nos eo offendunt, quod persona subito mutata chorus ad Socratem se convertit; Büchelerus maxime mutatam esse scenam contendit, ita ut in priore recensione inter v. 456 et 478 insertum fuerit chori canticum, quod nunc vv. 805—813 legimus. Sed neque ostendit hoc carmen huic loco aptum esse, neque — id quod Teuffelius ad hunc locum rectissime admonuit — nostro jure in personarum mutatione, quae verbis quidem non indicata est, sed aperte et dilucide intellegitur, haeremus. Num illud quod sequitur examen in priore recensione latius extensum fuerit — quod Teuffelius Büchelerus Kockius ex vv. 487. 488. 490. 492. 497 collegerunt — dijudicare non ausim: id negari non potest, sententiam his vv. bene procedere neque quidquam desiderari. Unum est, quod jure nostro reprehendamus: est annominatio illa (*παρονομασία*) inter *λέγειν* et *ἀποστερεῖν* v. 487 instituta, quam dubito num ab eruditis Graecorum auribus intellectam esse Wolfio concedere possimus. Quum praeterea vv. 486 sq. nexum sententiarum male turbent, vv. 485 vero et 488 optime inter se cohaereant, non dubito quin Meineckius verum viderit, qui hos vv. ex textu expulit.

Jam ad parabasin (510—626) transeundum ejusque singulae partes accuratius tractandae sunt. Ex his *κομμάτιον* quod dicitur (510—517) ex priore recensione remansisse nemo negat: fortasse illic alio loco legebatur. Quae vero proprie vocatur *παράβασις* (518—562), eam alteri editioni soli aptam esse atque a poëta destinatam inde a scholiasta omnes viri docti qui de Aristophane egerunt unanime concesserunt, ita ut de hac re omnino dubitari non possit. Unus Goettlingius (l. c. p. 17—21) novam quandam opinionem de hac parabasi protulit, de qua pluribus agendum esse videtur. Putat enim hos versus, quibus poëta ipse ad spectatores se convertat, non effecisse vere parabasin, sed prologum quendam, quem poëta novo operi, quod lectoribus solis destinaverit, praemiserit. Primum hanc prologi rationem non magis apud Graecos usitatam fuisse crediderim quam fabulas ad legendum solum, non ad spectandum destinatas (cfr. pag. 7): nam quae affert exempla Equit. 36 sqq. et Vesp. 54 sqq. plane diversae rationis sunt ac magis tragicorum, imprimis Euripidis, prologis similia. In his versibus enim unus ex actoribus quae ad fabulam intellegendam

---

[1]) Aliter hanc duplicem recensionem Ritterus explicavit (p. 461 sqq.), quum Diogenem Laërtium Aristophanis verba consulto mutavisse contenderet; sed ne hanc quidem conjecturam caussis satis probavit.

[illegible] necesse est, exponit; hoc vero loco de suae ipsius fabulae sorte poëta [illegible]. Deinde his vv. ex parabasi remotis mutila fit haec fabulae pars, neque recte hoc loco inseri cum Goettlingio alterius parabasis quod dicitur ἐπίρρημα (v. 1114—1130) postea videbimus. Denique — id quod maximi momenti esse puto — optime haec propria parabasis se habet neque tantum a poëtae usu discedit, quantum Goettlingius putat. Nam quum in eo offendat, quod chorus poëta nomine loquitur, hoc ipsum parabasis esse solet, ut, quae poëta spectatoribus dicenda habet, chorus ejus nomine proferat. Quod vero semper chorus poëtam tertia persona dicentem facit atque, ut hic, prima persona duobus tantum aliis locis, Av. 445 et Eccl. 1155,[1]) utitur, tanti esse non putaverim, ut inde plane diversam esse hujus loci rationem colligamus. Et hoc eo minus offendit, si verum est, quod Kockius p. 17. ed. III dicit, poëtam antiquis illis temporibus plerumque choragum fuisse. — Sequitur ᾠδή quae dicitur (v. 563—574), quae aeque atque ἀντῳδή (v. 595—606) ex priore editione remansisse videtur. De tempore vero quo ἐπίρρημα illud v. 575—594 scriptum sit, inter viros doctos non convenit. Quum enim chorus in eo conqueratur, quod Cleon ab Atheniesibus imperator creatus sit (v. 581), Cleonem vero bis munere imperatorio functum esse, anno 425 et 422, constet, alii, ut G. Hermannus Fritzschius Goettlingius, de priore expeditione cogitantes priori Nubium editioni hoc ἐπίρρημα attribuerunt, alii, ut Kockius Köchlius Teuffelius, cum schol. v. 592. alteram dici putaverunt, ita ut cum scholiasta compluribus temporibus paullatim retractatam esse fabulam contenderent. Atque quum hoc alterum et per se minus probabile sit et allocutione illa, a qua epirrhema exorditur, ὦ σοφώτατοι θεαταί (v. 575) poëtam post explosam fabulam usum esse vix credere possimus, etiam de priore illa expeditione quam Sphacteria expugnata et Pyliis captis felicissime et optime confectam esse nemo est qui ignoret, illis verbis vv. 591 sq., in quibus de poena a Cleone sumenda agitur, agi non potuisse concedendum est. Quare non dubium mihi videtur quin rectissime Büchelerus (l. c. p. 659 sqq.) de tertia Cleonis expeditione, quam anno 424 rebus nec bene nec male gestis susceperit, de qua nihil tradiderint scriptores historici, hoc loco agi dixerit: cui conjecturae etiam Teuffelius in sua editione assentitur. Quae si recte disputata sunt, nihil obstat, quominus ἐπίρρημα illud jam in priore Nubium editione nfuisse censeamus. — Restat ut de ultimae partis quae ἀντεπίρρημα dicitur (v. 607—626) tempore paucis agamus. In eo tres insunt loci, ex quibus de tempore judicare possimus: primum v. 609 alludit poëta ad Cleonis literas Pylo missas, quae quum anno 424 missae sint, nihil ad priorem aut alteram editionem faciunt; deinde v. 615 sqq. de fastorum mutatione poëta agit, quam a Metone anno 432 institutam quidem esse constat, sed ante annum 421 receptam esse non verisimile est (cfr. Jdeler, chronolog. I p. 326); denique v. 623 sqq. casus quidam, in quem Hyperbolus hieromnemon inciderit, narratur, cujus tempus accurate definire non possumus, sed quem anno 416 accidisse cum quadam veri similitudine Meineckius (hist. crit. com. Graec. p. 193) putat. Ex quo sequitur, ut neque Fritzschio neque Köchlio[2]) hos ultimos vv. priori editioni attribuentibus fidem habeamus, sed eos in retractatione

---

[1]) Tertius qui afferebatur locus, Pac. 744, a Hamakero et Meineckio deletus est.

[2]) Quum Köchlius Hyperbolum ita ex hoc loco removeat, ut in priore editione omissis vv. 622. 624. 625 et nonnullis verbis mutatis sic scriptos esse vv. 621—626 contendat: *πολλάκις δ' ἡμῶν ἀγόντων τῶν θεῶν ἀπαστίαν σπένδεθ' ὑμεῖς καὶ γελᾶτ' · ἀνθ' ὧν ἐπιστέλλει θεὰ κατὰ σελήνην ὡς ἄγειν χρὴ τοῦ βίου τὰς ἡμέρας*, vereor ut hanc conjecturam verisimilem esse cuiquam persuadeat.

demum huc insertos esse credamus. Illud certe concedendum est, [illegible] diversis partibus diversis temporibus compositam esse.

In altero quod jam sequitur episodio (627—803) omnes fere viri docti utr[illegible]sionem conjunctam atque concinnatam esse concedunt, si unum exceperis Enger[illegible] l. c. p. 13 justo acrius in hanc artis criticae rationem invehitur. Examinandus est p[illegible] nexus sententiarum. Docetur senex a Socrate philosophiam: qui postquam rudem atque imbecillum atque obliviosum esse senem conquestus est, quod nonnisi docendo expertas esse potest, miro modo subito dicit:

ἄγε δή, τί βούλει **πρῶτα** *μανθάνειν*; (v. 636)

in quo qui non haeret, apertis oculis lucem non videre putandus est. Deinde postquam diutius in re metrica atque de verborum significatione instituit Strepsiadem (v. 636—693), subito, quum ille queratur sibi discenda esse quae omnes sciant, respondet:

οὐδὲν μὰ Δί' ἀλλὰ κατακλινεὶς δεῦρο cett. (v. 694)
ἐκφρόντισόν τι τῶν σεαυτοῦ πραγμάτων,

in quo non minus haerendum esse putaverim. In his versibus, si quid video, duae recensiones conjunctae sunt, prior vv. 636—693, in quibus Strepsiadis institutio paullo latius extensa erat, altera vv. 627—635 et 694—730,[1]) quae aliud consilium sequebatur, id enim, ut Strepsiades cimicibus misere cruciatus induceretur. Quae sententia magis etiam probabitur, ubi in eorum quae sequuntur nexum accuratius inquisiverimus. Strepsiades a Socrate sententiam quandam fallacem atque furacem excogitare jubetur v. 695, sed se recte cogitare non posse, quum cimices se male vexent atque turbent, saepius conqueritur (v. 709 sqq; 725 sqq); quo facto Socrates subito loquitur:

φέρε νυν ἀθρήσω **πρῶτον** *ὅ τι δρᾷ τουτονί,*

quin etiam addit:

οὗτος, καθεύδεις;

atque repetit illud mandatum, ut excogitet aliquid, quod quid sit ipsum dicere jubet (v. 737). Quae quomodo convenire cum eis quae praecedunt possint, non assequor. Etiam hoc loco igitur duae recensiones mixtae sunt: altera, in qua dormire videtur Strepsiades (731—739), altera, in qua per cimices dormire ei non licet. Ne in eis quidem quae sequuntur omnia bene procedunt: ut taceam miram illam Socratis indignationem vv. 785 qq., qua motus Strepsiadem quum unum eorum quae didicerat nescit subito domo expellit (ex qua colligendum esse videtur Strepsiadem in priore editione plura edidisse oblivionis atque stultitiae testimonia), jure nostro miramur, quod a Socrate expulsus remanet, immo vero eum se aliquamdiu manere jubet (v. 803). In altero jam Ernestius offendit atque verba nonnulla mutare voluit; mihi non dubium esse videtur, quin versus ille 803, ex v. 843 male conflatus et huc transpositus, hoc loco ex textu expellendus sit. — Jam restant chori cantica huic episodio inserta (700—706, 804—813): quae primum sibi non respondent, deinde suo quo posita sunt loco apta esse non videntur. Ex eo quod prius canticum duobus versibus brevius est quam alterum, nihil de retractatione aut perfecta aut imperfecta colligere possumus: nam tale quid neglegentia quoque librariorum effectum esse potest, quamvis lacuna in priore

---

[1]) Fortasse recte Köchlius vv. 635 et 694 conglutinavit scribens:
ἀνύσας τι κατάθου κἆτα κατακλινείς.

[illegible] Jam vero quae in his canticis dicuntur apta [illegible] posse non videntur. In priore cogitare et meditari quovis modo et ab [illegible] ad alteram transsilire Strepsiades jubetur, imprimis vero monetur, ut dulcem somnum [illegible] oculis removeat: id quod ad prioris editionis consilium pertinere potest, non ad alterum, quo jam cimices curaverunt, ne Strepsiades obdormisceret. Alteri vero in quo chorus Socratem jubet senem illum, qui omnia facere paratus sit, quam maxime fieri possit tondere atque emungere, locum omnino esse non posse concedendum est, ubi Socrates senem ex domo atque schola expulit. Quare utrumque canticum chori ab altera editione alienum et ad priorem referendum esse videtur. Ut quae adhuc disputavimus de altero episodio, complectamur: ex priore editione hic remansisse videntur vv. 636—693. 700—706. 731—739. 804—813, ex altera vv. 627—635. 694—699, 707—730. 740—802, v. 803 vero pro spurio habendus esse. Quem locum in priore editione illa cantica obtinuerint, dijudicare non ausim; praecessit haud dubie alterum illud 804—813, excepisse vero statim v. 456 — id quod Büchelerus et Teuffelius censentmihi non verisimile est, quum ne huic quidem loco aptum videatur.

In quarto episodio (814—888) primo Strepsiades Phidippidi persuadere studet, ut Socratis domum adeat ejusque in schola discat, deinde ubi aegre id ab eo impetravit, cum eo ad Socratis aedes revertitur Socratique docendum filium tradit. In quo omnia bene procedere videntur, nisi quod in ultimis versibus (882—888), quibus altercatio justi et injusti oratoris, quae jam sequitur, quasi praeparatur, complures viri docti offenderunt. Et revera primo vv. 881 et 882 non inter se cohaerent, sed ad aliam rem subito Strepsiades transit; deinde qui sequuntur vv., imprimis v. 886, justum et injustum oratorem, quorum altercationem in altera demum editione additam esse jam ex sexto argumento vidimus (cfr. pag. 3), tam aperte introducunt, ut et ipsi ex altera editione profecti esse videantur; denique remotis illis vv. 882—888 et ea scena quae vv. 889—1104 sequitur, v. 881 cum vv. 1105 sqq. optime cohaeret, qui post illam scenam explicari omnino non possunt. Nam, ut hos vv. (1105—1113) statim tractemus, intellegi non potest, quomodo, postquam Phidippides utrumque oratorem per plus ducentos versus dicentem atque docentem audivit, Socrates Strepsiadem interrogare possit (v. 1105 sq):

τί δῆτα; πότερα τοῦτον ἀπάγεσθαι λαβὼν
βούλει τὸν υἱόν, ἢ διδάσκω σοι λέγειν;

Praeterea non potest cogitari, quomodo Socrates et Strepsiades, quos ab illa altercatione afuturos esse explicitis verbis dicitur (v. 887 sq.), post illam scenam finitam statim adesse possint. Rectissime vero cum vv. 877—887, quibus stultum non esse et facillime philosophiam intellegere posse Phidippidem Strepsiades praedicaverat, haec interrogatio convenit. Cfr. quae de his versibus exposuit Teuffelius in philol. vol. VII p. 342 sqq. Jam vero et vv. 882—888 et vv. 1105—1113 alii viri docti aliter mederi studuerunt: de quibus paucis videndum erit. Quod Köchlius dicit (l. c. p. 425) vv. 882 sqq. cum priore recensione optime convenire, quum non de duobus oratoribus, justo et injusto, agatur, sed fere circumscribatur locutio illa notissima sophistarum *τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν* (Gell. noct. Att. V, 3, 7; Cic. Brut. 30), id eo refutatur, quod de his orationibus (*λόγοι*) tanquam de personis poëta loquitur, ita ut revera cum altera tantum editione, in qua justus et injustus orator altercantur, conveniant (cfr. quae pag. 8 de vv. 108—120 explicavimus). Quum deinde

Kockius vv. 883—885 pro spuriis habeat, concedi fortasse poterit v. [illegible] tionibus deest atque ex v. 901 conflatus esse videtur, uncis includend[illegible] vero per se nihil offensionis praebent neque eis remotis omnes difficultates [illegible] Quum vero Beerius [1]) personis mutatis locum sanare studeat, dubito num id quod se [illegible] esse sperat, hac mutatione consecutus sit. Nam quod primum contra libros verba [illegible] ἐγὼ δ' ἀπέσομαι (vel ἄπειμι cum Bentlejo) Socrati tribuit, id verum esse concedi potest, ut Meinekius Teuffelius Kockius fecerunt, attamen ex eo colligi non poterit Strepsiadem altercationi illi interfuisse: hoc eo impeditur, quod per totam quae sequitur scenam omnino non loquitur, nec minus eo quod filium prorsus Socrati tradidit neque institutioni interesse vult. Quod praeterea vv. 1105 sq. et 1111 non Socrati, sed injusto oratori dandos esse censet, hoc nemo fere recte fieri concedet; nam neque injusto oratori haec verba apta sunt (id quod Teuffelius l. c. p. 338 pluribus ostendit), neque hac mutatione difficultates tolluntur. Quare nihil restare videtur, nisi ut vv. 814—881. 1105—1112 ex priore editione remansisse, v. 882—888 in altera additos esse censeamus, ita vero, ut eis nexus sententiarum male turbetur atque interrumpatur. Post vv. 888 chori canticum deesse jam in libris manuscriptis atque ab omnibus editoribus notatum est; necessario requiritur, ut duobus histrionibus, qui antea Socratis et Strepsiadis partes egerant et jam utriusque oratoris partes acturi sunt, vestium mutandarum tempus detur. Engero quidem concedi potest hoc canticum neglegentia scriptorum omitti potuisse, verisimilius vero est poëtam ipsum id non perfecisse: etiam G. Hermannus ad v. 887 ed. II notat: „ceterum haec cantici omissio nescio an in iis rebus numerari debeat, quae secundam Nubium editionem non perfectam a poëta esse indicent.“

Sequitur episodium quartum (889- 1104), quo toto altercatio justi atque injusti oratoris continetur. Hoc episodium totum in altera editione additum esse et in eo summam alterius editionis praestantiam positam esse post argumentum illud sextum omnes editores concesserunt. Ne hanc quidem partem plane perfectam esse praecipue Teuffelius contendit, qui hujus rei vestigia in duobus chori canticis (950—956 et 1025—1031) repperisse sibi visus est. Hoc utrum verum sit necne dijudicare non ausim; sed alia quadam re ostendi posse putaverim hanc scenam non omnibus numeris perfectam atque absolutam esse. Nam in hac scena initium quoddam symmetricae responsionis comprehenditur, neque vero haec responsio ad finem perducta est. Excipiunt enim stropham chori tetrametros anapaesticos systema anapaesticum chori antistropha, fere totidem tetrametri anapaestici, antisystema anapaesticum; sed neque tetrametri neque systemata numeris plane inter se conveniunt. Nec vero hanc aequabilitatem ita restituendam esse putaverim, ut cum W. Helbigio (in mus. rhen. vol. XV p. 251 sqq.) et J. Oerio (in annal. philol. vol. 101 p. 357) post v. 963 duos versus excidisse statuamus, nam in sententia lacuna non inest; sed concedendum est eam ita explicandam esse, ut poëtam hanc scenam non plane perfecisse censeamus.

De vv. 1105—1113 jam antea egimus (cfr. pag. 13) eosque ex priore editione additos esse ostendimus. Uno verbo vero notandum est, qua ratione G. Hermannus hujus scenae difficultates tollere studuerit. Haec ad v. 1107 annotat (est v. 1104 nostrae editionis): „Post hunc versum aliquantisper solus in scena stare videtur Phidippides, dum histriones, qui oratorum personas egerant, mutato in postsceniis vestitu, in Socratem et Strepsiadem mutati sua uterque e domo exeunt.“ Haec ratio tam aliena est a consuetudine non solum

[1]) über die Zahl der Schauspieler bei Aristophanes, S. 115 f.

[illegible] temporum [illegible], ut omnino de ea cogitari non posse nostro [illegible] [illegible]us.

[illegible] alterum ἐπίρρημα (v. 1114—1130), in quo chorus poëtae nomine a judicibus [illegible], ut se praemio ornent, additis compluribus promissis, quae ejusmodi sunt, ut risum spectatorum moveant. Cui cum in altera editione post primam fabulam explosam locus esse omnino non possit, post F. A. Wolfium, qui primus hoc dixerat[1]), Fritzschius Teuffelius Köchlius Goettlingius Büchelerus alii viri docti id jam in priore editione infuisse suo jure contenderunt. Sed de loco, quem in priore editione obtinuerit, non inter omnes convenit. Ante omnes Goettlingius (l. c. p. 21—26) eam rationem ingressus est, ut hoc ἐπίρρημα in priore editione post v. 517, eo loco quem nunc παράβασις quae proprie vocatur obtinet, insertum fuisse contenderet. Eam qua haec transpositio nitatur conjecturam, ut enim ea quam nunc legimus parabasin pro prologo totius fabulae habenda sit, ferri non posse jam antea (cfr. pag. 10 sq.) ostendimus; sed etiam per se huic mutationi complures difficultates obstant. Nam primum in eo quod altera additur parabasis, omnino non offendendum est, quum in Acharnensibus (1143—1172), Equitibus (1264—1315), Pace (1127—1190), Avibus (1058—1117) etiam altera parabasis inveniatur; neque aliam horum locorum rationem esse quam alterius Nubium parabasis Goettlingio crediderim. Deinde quod per se solum hoc ἐπίρρημα positum est, in eo jure non offendit, quum hujus quoque rei alia exempla (Thesmoph. 830—845; Eccl. 1155—1162) ipse attulerit. Sed eo loco quo inseri id vult Goettlingius insertum ἐπίρρημα merito nos offenderet, quum hoc modo duo epirrhemata et antepirrhema in eadem parabasi conjuncta haberemus: neque in initio parabasis, ubi graviores res cum spectatoribus poëta communicare solet, his ludis atque jocis, quales hoc loco legimus, poëtam apte usum esse putaverim. Omnino caussa inveniri non potest, cur hoc loco quo legimus in priore editione ἐπίρρημα insertum fuisse non censeamus; videtur vero aptissime hoc loco additum esse, ut tempus interjectum, quo Phidippides a Socrate post scenam docetur, expleatur: fortasse alia carmina chorica in priore editione addita postea perierunt.

In episodio quinto (1131—1302) Strepsiades pretium doctrinae, saccum farina impletum, Socrati allaturus ex aedibus egreditur, filium eruditum a Socrate accipit, qui quaedam novae doctrinae documenta edit, denique Pasin et Amyniam creditores ex foribus expellit. Haec omnia bene procedunt neque fabulae consilium ullo modo mutatum esse indicant, ita ut facillime jam in priore editione inesse potuerint. Quare vix assequi potui, qua caussa motus Köchlius hujus scenae totam priorem partem (1131—1213) additam esse in altera editione censeat; nisi forte ei quam fecit conjecturae plus justo dat, Phidippidem in priore editione a Socrate omnino non institutum fuisse. Ne vv. 1148 sqq. quidem, quos Fritzschius, qui praeterea totum episodium ad priorem editionem refert, postea additos esse censet (vol. III p. 9), priori editioni defuisse putandi sunt; nam quum Strepsiades dicat:

καί μοι τὸν υἱὸν εἰ μεμάθηκε τὸν λόγον
ἐκεῖνον, εἴφ᾽, ὃν ἀρτίως εἰσήγαγες;

neque illis verbis τὸν λόγον ἐκεῖνον ad altercationem justi et injusti oratoris alluditur, et ὃν ἀρτίως εἰσήγαγες non ad injustum oratorem, sed ad Phidippidem filium recte transfertur.

---

[1]) die Wolken griechisch und deutsch, S. 185.

Praeter internum hoc quod attuli testimonium externo quodam adducimur, ut hanc scenam priori editioni tribuendam esse censeamus. Athenaeus enim — id quod jam pag. 4 exposueram — vv. 1196—1200 ex prioribus Nubibus affert, neque ulla caussa est, cur cum Hermanno et Engero *ἐν προτέραις Νεφέλαις* vocabulo *δευτέραις* mutemus. Mire vero Dindorfius (de fragm. Arist. p. 17) „nihil fortasse aliud significare Athenaeum voluisse putat quam se, quum illa scriberet, priorum Nubium exemplar versasse, alterum non inspexisse.“ Neque quomodo hoc in simplicibus et nudis verbis *ἐν προτέραις Νεφέλαις* inesse possit, neque quid hoc faciat ad rem accuratius explicandam, intellego.

Dum Strepsiades finito cum creditoribus colloquio ad prandium domum redit, chorus carmen canit (1303—1320), quod non plane perfectum esse Teuffelius ex nonnullis indiciis collegit: concedendum certe est in vv. 1308 sqq. verbis usitatam poëtae curam quam maxime desiderari. Köchlius alteram partem quae de filio agat (1311—1320) postea additam esse censet: sed haec opinio cum illa conjectura cujus modo (pag. 15) mentionem fecimus tam arcte cohaeret, ut eam magni pendere non possimus. Qui verba ipsa inspexerit, negare non poterit hoc chori canticum in priore editione jam inesse potuisse.

Exodus (v. 1321—1520) in duas partes dividitur, quarum prior Strepsiadem et Phidippidem acerrime altercantes inducit (v. 1321—1452), in altera Strepsiades consilium suum aedium Socratis comburendarum et exponit et exsequitur (v. 1453—1520). Prior illa pars ab editione Nubium priore non prorsus aberat, sed compluribus locis in altera editione correcta et aucta esse videtur. Primum illa acerrima convicia v. 1325—1330 tam similia eorum sunt, quibus justus et injustus orator se invicem persequuntur (909—912), ut ex imitatione eorum orta esse videantur; nec minus v. 1336 sq. aperte ad justi et injusti oratoris contentionem referuntur. Hoc recte vidit Köchlius; minus recte vero repugnare inter se vv. 1437—1452, in quibus de matre verberanda agitur, et vv. 1380 sqq., ex quibus colligendum esse putat Phidippidis matrem jamdudum mortuam esse, contendere videtur; nam haec verba joci caussa allata non urgenda sunt. Hanc scenam vero maximam partem jam in priore Nubium editione infuisse documento est proverbium illud *δίς παῖδες οἱ γέροντες* (v. 1417), quod in scholio Parisino (cfr. Bast. ad. Pseudoplat. Axiochum V 3 p. 510 B) ex prioribus Nubibus (*Ἀριστοφάνης Νεφέλαις α´*) affertur, ut rectissime Fritzschius (vol. IV p. 7) monuit. Altera vero exodi pars teste argumento illo sexto mutata est in altera editione, quare non est cur contra omnium fere editorum consensum cum Köchlio jam in priore recensione Socratis domum combustam, sed in altera hanc scenam paullulum circumcisam atque decurtatam esse censeamus. Neque ea quae in parabasi dicuntur v. 541 neque scholium v. 542, cui adversa fronte schol. v. 543 repugnat, obstare, quominus hanc ultimam scenam alteri Nubium editioni tribuamus, jam supra ostendimus (cfr. pag. 7).

Ut paucis ea quae de singulis fabulae partibus exposuimus repetamus atque complectamur: vidimus in prologo priorem recensionem retentam esse, nisi quod vv. 108—118 postea additi sunt; parodi primam formam nobis traditam esse; in primo episodio vv. 412—422 nexum sententiarum misere turbari atque interrumpi, ita ut hi quoque duplicis recensionis vestigia praebeant; ex parabasi eam partem quae proprie hoc nomine vocatur (518—562) et eam quae *ἀντεπίρρημα* dicitur (v. 607—626) in altera editione additas esse; in altero episodio utramque editionem ita coniunctam esse, ut priori fere vv. 636—693, 700—706, 731—739, 804—813, alteri vv. 627—635, 694—699, 707—730, 740—802 tribuendi sint; in tertio

[illegible] vv. 889—[illegible]

[illegible] 1104) ad [illegible] editionem pertinere; contra vv. 1105—[illegible] [illegible] 1113—1130 ad priorem editionem referenda esse; denique [illegible] (1214—1302), chori canticum 1303—1320, priorem exodi partem 1321—1[illegible] [illegible] exceperis versus ex priore recensione remansisse, ultimam vero scenam in altera [illegible] plane mutatam esse. Hinc necessario consequitur, ut retractationem a poëta non perfectam esse, sed mirum in modum utriusque recensionis fragmenta inter se conjuncta et saepissime non satis apte concinnata esse concedamus. Unum hujus retractationis non perfectae testimonium quod dixerim internum addere potero, petitum illud a non perfecta vv. aequabilitate, quam aliarum fabularum exemplo in hac quoque desideramus. Nam eam aequabilem numerorum distributionem quam praeeuntibus nonnullis viris doctis in omnibus fere Graecorum tragoediis regnare ostendi[1]) ab Aristophanis fabulis non alienam esse post Sauppium (epist. crit. p. 116) Jac. Oeri (de responsionis apud Aristophanem rationibus et generibus Bern. 1865 et in annal. philol. vol. 101 p. 353—390) probavit; in Nubibus vero perpauca hujus aequabilitatis exempla inveniuntur, neque ea prorsus perfecta atque absoluta. Nam quae Oerius affert exempla tria, non prorsus pari numero sunt: de vv. 950—1104, quorum meminit p. 26, jam hoc ostendimus pag. 14; vv. 1214—1302 duas aequabiles esse partes pag. 33 contendit (1214—1258 — 1260—1302), sed ipse concedere coactus est poëtam in fabulae retractatione unum versum delevisse; in ultima scena vv. 1476—1492 cum vv. 1493—1510 congruere dicit, sed et initium et finem scenae omnino non respexisse videtur. Quod praeterea invenitur exemplum colloquii inter duas personas aequabilibus numeris distributi (880—907), id non ad perfectionem adductum esse numeri ipsi probabunt: 2. 2. $1\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$. $1\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$. 1. $1\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$. 1. $\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$. 1. 2. $\frac{1}{2}$. $\frac{1}{2}$. 1. $2\frac{1}{2}$. $1\frac{1}{2}$. Sed totus prologus, totum primum episodium, excepta brevi stichomythia v. 426—438, totum alterum et tertium episodium, prior denique quarti episodii pars hac aequabili numerorum distributione plane carent. Quae ubi cum aliarum fabularum, Equitum Pacis Avium praecipue, aequabili compositione comparaverimus, concedemus in hac quoque re retractationis Nubium non perfectae testimonium cerni.

Jam quum externis et internis testimoniis probari videatur, Aristophanem inchoasse quidem fabulae retractationem, neque vero eam ad finem perduxisse, atque eam quam nunc legimus fabulam ex utraque recensione conjunctam atque mixtam esse, id restat inquirendum, quomodo hoc fieri potuerit. Quod ne quis minoris momenti esse putet, legat quaeso ea quae Engerus l. c. p. 14 sq. exposuit. Miratur primum, quomodo Athenienses doctissimi et subtilissimi miserrimam illam fabulam, qualem nostram esse ei qui retractationem inchoatam neque perfectam putant dicant, recensioni priori praeferre potuerint. Deinde eis qui hanc explicationem sequuntur exprobrat quod praeclarissimam poëtae fabulam ex duabus recensionibus misere concinnatam, quod poëtam ipsum non tantis ingenii facultatibus praeditum esse contendant, ut retractationem inchoatam perficere potuerit. Mihi justo acrius in viros doctos invectus esse videtur; nam nihil eorum quae eis exprobrat contenderunt. Nemo putavit facultates Aristophanis retractationi perficiendae non suffecisse; id vero nostro jure contendimus facillime fieri potuisse, ut eum retractationis pigeret atque Nubibus abjectis ad

---

[1]) Cfr. de tragicorum Graecorum stichomythia pag. 4 sqq. 36 sqq.

alias fabulas se converteret. Hanc fabulam vero abjectam et repudiatam post Aristophanis mortem unus ex propinquis, fortasse ex filiis, edidit amore patris motus, ne quae nova et laude digna protulerit, pereant; neque enim ipsum fefellit imperfectam esse fabulam neque, qualis legatur, doceri posse, sed tamen mutando abstinuit, ne patris opus impia manu correxisse videretur. Quare Atheniensibus hanc fabulam mutatam denuo offerre ausus est; hi vero libenter acceperunt poëtae mortui, quem vivum in deliciis habuerant, fabulam postumam atque mire gavisi sunt nova illa parte, in qua justo et injusto oratore introductis vetera et recentia tempora sibi opposita sunt. Ita factum est, ut alteram recensionem priori, quam antea exploserant, praeferrent; neque hoc fecerunt, quia artis comicae ignari erant, sed quia legentes non tam difficultates scenicas novae editionis, quam retractatae fabulae novas pulchras scenas animo perceperunt. Neque hoc mirandum est, quum etiam aetatis nostrae critici nonnulli in difficultatibus non haereant, sed egregiam esse atque optimam hanc fabulam pleno ore praedicent. Ita paullatim prioris editionis et vestigia et memoria evanuerunt. Nos vero quum nobis proposuerimus non solum ex fabula legenda voluptatem percipere, sed etiam omnes locos difficiliores exponere atque explicare, necessario fere coacti sumus in totius comoediae compositionem paullo accuratius inquirere neque solum praeclaros locos praedicare, sed etiam eas quae inveniuntur difficultates quantum fieri poterit explicare tollere removere. In quo ubi nonnulla inveniemus vitia, rectius agere nobis videbimur ea confitentes atque eorum caussam indagantes, quam omnia laudantes, ea quoque, quae laudari non possunt.

Sed jam satis superque crimen impietatis a nobis avertere studuimus, nec aliud quidquam restat, nisi ut opinionem illam a veteribus criticis traditam atque justo magis probatam, qua Nubes pro optima et perfectissima Aristophanis fabula habentur, refutatam esse repetamus. A qua tantopere recesserunt nuperrimis temporibus viri docti, ut non in mira quadam Atheniensium ignorantia atque verae artis inscitia, sed in ipsius fabulae vitiis caussam positam esse intellegerent, cur Nubes praemio non ornarentur. De hac re vero quum exponere longum sit, alio fortasse tempore videndum erit.